

munem viam mandatorum sequuntur, ut patet ex reg. 6, ex fusius disputatis. Et quamvis in regul. 7 comparet solitariam vitam cum cœnobitica, et hanc posteriorem præferat, utramque tamen supponit debere ad contemplationem principaliter ordinari. Et quamvis actionem aliquam in monacho requirat, semper tamen orationem et contemplationem tanquam finem principalem ponit, ut patet in c. 2 Constit. monast.; laborem autem manuum ad corporis exercitationem et congruentem hominis occupationem requirit, ut patet ex c. 5 earumdem constitutionum.

8. *De mediis, ac primum de paupertate, castitate et obedientia.*—Media autem, quæ ad illum finem proponit, imprimis ea sunt, quæ ad substantiam status religiosi pertinent, ut sunt paupertas, obedientia, castitas, sub uno Prælato, de quibus in prædictis regulis late disputat, exhortationes potius et generalia documenta, quam peculiare aliquid et proprium illius instituti tradens, unde quoad paupertatem non invenio esse illis prohibitum aliquid in communi habere, sed solum in particulari; hanc vero exactissimam requirit, adeo ut nec minimam eleemosynam religiosi sine licentia facere permittat de communibus bonis, et cum licentia, non sine magna circumspectione, ut patet regul. 87, 91, 100 et 101, et 302, ex brevioribus. In castitate etiam et obedientia maximam observantiam postulat; et hæc vota pactum et promissionem appellat, quæ violari aut rescindi non potest, in Constit. monast., cap. vigesimo secundo, et trigesimo quinto.

9. *De mediis aliis accidentariis.*—Quoad alia vero specialia media requirit imprimis peculiarem, pauperem et simplicem habitum, ut patet in regul. 22, ex fusioribus; non tamen declarat cujus coloris aut figuræ ab ipso fuerit institutus. Quoad habitationem, præter separationem conventus, ordinariam clausuram requirit, et fere nullam cum secularibus hominibus conversationem permittit, ut patet ex cap. 6, 7 et 8 Constitutionum. Non invenio tamen de modo servandi silentium aliquid speciale ab eo statutum, præter ea quæ sæpe docet de moderatione circa locutionem servanda, ut cap. 12 et 13 Constit. Similiter de ratione victus, non invenio in regulis Basilii usum carniū fuisse prohibitum, sed tantum commendari ut simplex, commune et moderatum alimentum sit, et unicujusque necessitati accommodatum, ut patet ex regul.

19 et 20, ex fusioribus: unde etiam nulla certa jejunia præcipit, sed fere hoc totum Antistitis arbitrio relinquit. De choro etiam vel cantu non invenio ab eo esse factam mentionem, vel Horarum distributionem, sed tantum orationem tum mentalem, tum etiam vocalem, sæpius ab ipso esse commendatam simul cum divinis laudibus et præsentia Dei, ut patet ex cap. 2 et 3 Constit., et ex regul. 5, 37, et aliis, tam ex fusioribus, quam ex brevioribus, præsertim 218 et 306. Denique idem dicendum est de aliis austeritatibus corporis seu actionibus pœnitentiæ; quamvis enim satis eam commendat et exaggeret, non tamen ad particularia præscribenda descendit. Simili etiam modo loquitur de corporali labore seu exercitatione; specialiter vero prohibet monachos, ne clericatum appetant, in c. 10 Constit., et supponere videtur monachos a se institutos ordinarie et ex vi professionis suæ non fuisse clericos, quamvis ad illum statum ascendere non repugnaret. Atque hæc sunt quæ de origine, et modo ac perfectione illius status in particulari dicere possumus; quam vero fuerit utilis Ecclesiæ Dei, et quot sancti ac perfecti viri inde manaverint, ex his quæ ex Chrysostomo et Casiano superius attulimus, intelligi potest. Quibus addi possunt, quæ de SS. Ephrem, Hesychio, et aliis fere ejusdem temporis leguntur apud Evagrium, Rufinum, et alios; nam post illa tempora nullam fere lucem de Orientis monachis habemus.

CAPUT II.

QUÆ FUERIT RELIGIONIS S. BENEDICTI INSTITUTIO ET PROGRESSUS.

1. *De initiis monachatus in Occidente quid indicet Ambrosius.*—De vita monastica, quando primum cœperit in Occidente, non omnino certum est; significat autem Ambrosius, ab Eusebio, Vercell. Episcopo, primum fuisse monachatum ex Oriente in Occidentem adductum. Indicat tamen non fuisse ab illo institutam aliquam religionem monasticam, de qua nunc loquimur, sed statum religiosum clericatui adjunxisse. Sic enim ait serm. 13, qui est de laudibus ejus: *Ut cætera taceam, illud quam admirabile est, quod in hæc sancta Ecclesia eosdam monachos instituit esse, quos clericos, atque iisdem penetrabilibus sacerdotalia officia contineri, quibus et sin-*

gularis castimonia conservatur, ut esset in ipso viris contemptus rerum, et accuratio Levitarum, ut si videres monasterii lectulos, instar orientalis propositi judicares; si devotiones cleri perspiceres, angelici ordinis observatione gauderes; et lib. 5, epist. 25: Quod si in aliis Ecclesiis (inquit) tanta suppetit ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expeditur in Vercellensi Ecclesia, ubi duo pariter videntur exigi ab Episcopo, monasterii continentia, et disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit, ut et in civitate positus instituta monachorum teneret, et Ecclesiam regeret jejunii sobrietate.

2. *Hic locus Ambrosii non convincit, ut varia exempla ostendunt.*—Quæ verba, ut dixi, intelligi possunt, quia et ipsemet Eusebius in persona sua austeritatem monachorum observare cœpit, et clericos suos juxta eam instituerat. Et fortasse non denuo adjunxit religiosum statum clericatui; ostendimus enim ab initio Ecclesiæ ab Apostolis et ejus discipulis fuisse observatum; et verisimile est etiam in partibus Occidentis, et maxime in Ecclesia Romana eum morem fuisse antea introductum, ut ex epist. 5 Clementis, et ex aliis colligitur. Austeritatem ergo monachalem illi statui adjungere potuit; vel certe propria monachorum monasteria instituit, ex quibus postea clericos crearet; et ideo dicitur monachatum clericatui conjunxisse. Nam de D. Martino fere illi æquali refert Sulpitius, dialog. 1, cap. 7, factum Episcopum, extra civitatem duobus fere millibus monasterium sibi statuisse. Quod sic describit: *Ipse ex lignis contexam cellulam habebat, multique ex fratribus in eundem modum plerique saxo superjecti montis cavato, receptacula sibi fecerant. Discipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati magistri instituebantur; nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur; non emere, aut vendere (ut plerisque monachis moris est) cuiquam licebat. Ars ibi exceptis scriptoribus nulla habebatur; cui tamen operi minor ætas deputabatur, majores orationi vacabant, et subdit inferius: Plures ex his postea Episcopos vidimus: quæ enim esset civitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de monasterio Martini cuiperet successorem?* Videtur ergo illud fuisse proprium monachorum institutum in fine quidem contemplationis, et in modo habitationis, et vitæ austeræ, orientalibus simile, in genere autem actionum, et labore manuum aliquantulum

diversum. Cujus ratio fortasse fuit, quia ad creandos inde clericos et Episcopos a Martino ordinabantur. Sed et ante Episcopatum legimus Martinum Mediolani monasterium monachorum erexisse, apud Sulpitium supra, cap. 4, et cap. 5 refert condidisse aliud juxta oppidum; quod non explicat quale fuerit, videtur autem loqui de civitate Pictaviensi, ubi Hilarius Episcopus erat, quem ipse persecutus fuerat. Augustinus etiam, lib. 8 Confessionum, cap. 6, refert suo tempore fuisse monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore. Et libr. 1 de Moribus Ecclesiæ, cap. 31, loquens de multitudine monachorum, tam in vita solitaria, quam in cœnobitica degentium, dicit, per totum orbem in dies magis magisque diffundi, et in Oriente maxime, atque Ægypto, significans jam tum fuisse in Occidente diffusam, quamvis fortasse non æqualiter. Et cap. 33: *Vidi (inquit) diversorium sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat, vir optimus et doctissimus, et addit: Plura etiam Romæ cognovi, etc.* Quod autem illa Romana monasteria non multo ante inceperint, sed tempore Athanasii, et occasione adventus ejus in Urbem, ex Hieronymo colligitur, epist. 16 ad Principiam, dicente: *Nulla eo tempore nobilium feminarum noverat Romæ propositum monachorum, neque audebat, propter rei novitatem, ignominiosum, ut tunc putabatur, et vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis prius sacerdotibus, Papaque Athanasio, et postea Petro, qui persecutionem Arianae hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide, Pachomii, et virginum, ac viduarum didicit disciplinam.*

3. *Quo tempore verisimiliter cœperit monachatus in Occidente.*—Unde constat, eodem fere tempore, quo in Oriente per Antonium monachorum vita in ordinem redigi cœpit, in Occidente per Athanasium inductam esse, et ab Urbe tanquam a capite facile ad alias Occidentis regiones dimanasse; quamvis non defuerint hæretici, qui monachorum nomen statim insectari cœperint, ut Augustinus commemorat in Psalmum 132. Postea vero ipsemet Augustinus monachatum in Africam invexit, de quo dicemus cap. 8 commodius, tractando de eremitis mendicantibus. De illa ergo ætate usque ad D. Benedictum nihil certius, vel specialius de monachalibus religio-

nibus, seu institutis in Occidente dicere possumus.

4. *Quo tempore cœperit religio S. Benedicti.* — Post hæc vero tempora D. Benedictus, anno Domini 500, vel circiter, suam religionem sub propria regula instituit; prius enim ipse sanctæ conversationis habitum, ut Gregorius ait, id est, monachalem, a Romano monacho accepit, qui Romanus sub Theodati Patris regula degebat, referente eodem Gregorio, lib. 2 Dialog., cap. 1. Benedictus autem non videtur in eo monasterio, vel sub ea regula aliquando vixisse, quia neque a Theodato receptus est, neque illi fuit cognitus, sed statim in Sublacum secessit, ubi in spelunca diu delituit, solo Romano sciente, et cibum occulte ministrante. Post paucos vero annos congregare discipulos cœpit, et in monte Cassinate principale sui ordinis cœnobium fundavit, et plura monasteria in Italia construxit, propriamque regulam edidit, quæ inter approbatas ab Ecclesia refertur in cap. *Perniciosum*, 17, quæst. 2. Et eam laudat Gregorius Papa, lib. 2 Dialogorum, in fine, et a monumentis ejusdem ordinis refertur specialis approbatio ejusdem Gregorii Papæ, et Zachariæ I; et quando illæ deessent, generali traditione, et acceptatione tot Pontificum et totius Ecclesiæ satis approbata esset.

5. *Quod institutum seu professio hujus religionis.* — Constat igitur imprimis religionem a Benedicto institutam, proprie et perfecte monachalem esse, nam finis illius solum est propria perfectio ad divinam contemplationem et laudem ordinata, et comparanda per media vitæ monasticæ propria, ut ex discursu ejusdem regulæ constat. In qua illa, quæ pertinent ad divinum et canonicum officium et psalmodiam, expressius et distinctius tradita inveniuntur, quam in aliis regulis religionum ab Ecclesia approbatis; simul tamen in eadem regula, artificia, seu opera, et labores monachorum commendantur, nam in ea supponitur statum illum non fuisse per se institutum ad clericorum ministeria, sed ad vitam pure monasticam, prout ante Benedictum in usu erat. Quocirca, quantum ad finem et substantiam religionis spectat, non videtur fuisse diversum Benedicti institutum ab antiquis institutis monachorum, quamvis fortasse in habitu fuerit diversum, et ad certam regulam redactum. Antea enim non videntur monasteria omnia, præsertim in Occidente, aliquam unam regulam observasse, sed unumquodque vel juxta receptas consuetudi-

nes, vel juxta Abbatis et Episcopi arbitrium gubernabatur. Post Benedictum vero monasteria omnia, vel ab ipso vivente ædificata (quæ multa fuerunt, ut ex Gregorio colligitur, lib. 2 Dialog., nam prius quam Sublacum relinqueret, duodecim monasteria instruxit, et postea Cassinense monasterium fundavit), vel ab ipsius discipulis Mauro, Placido, et aliis, in Sicilia, Gallia, et aliis provinciis erecta, eandem regulam et religionis unitatem servavit.

6. *Circa tempora S. Benedicti alia monasteria ab aliis fundatoribus sunt instituta.* — Hic vero interrogare potest aliquis, an post Benedicti institutionem non solum monasteria omnia, quæ ab ipso duxerunt originem, sed etiam reliqua omnia monachorum domicilia, quæ ab aliis monachorum parentibus vel ante Benedictum, vel eodem tempore in Occidente, et præsertim in Italia ædificata erant, Benedicti institutionem susceperint, et ad ejus regulam sese accommodaverint. Quod enim et alia monasteria et alii fundatores eorum tunc fuerint, præter ea quæ in principio capituli diximus, constat ex Gregorio, lib. 1 Dialogorum; nam in cap. 4 refert, Honoratum, virum sanctissimum, in Samnii partibus, in loco qui Fundis dicitur, monasterium construxisse, et ferme ducentorum monachorum patrem extitisse; de quo etiam Honorato refert nullius fuisse discipulum, sed a Spiritu Sancto edoctum. Et c. 2 commemorat Libertinum ejusdem Honorati discipulum, tempore Totilæ, regis Gothorum, ejusdem Fundensis monasterii præpositum; unde colligitur Honoratum vel æqualem Benedicto, vel paulo ante tempora Benedicti fuisse; nam ex lib. 2, cap. 14, Dialogorum, constat Benedictum tempore Totilæ vixisse, eique mortem prædixisse. Simile est quod de S. Equitio refert idem Gregorius, d. lib. 1, cap. 4, multorum monasteriorum patrem in provincia Valeria extitisse; quem tamen vel æqualem, vel seniore Benedicto fuisse, ex fine ejusdem capituli constat, ubi de ejus vita inquit: *Hanc Albinus Reatinæ antistes Ecclesiæ cognovit, et adhuc supersunt multi qui scire potuerunt.* Et inferius ait, quo tempore Longobardi provinciam Valeriæ vexare cœperunt, Equitium jam defunctum fuisse.

7. Hoc igitur posito, inquirimus an post Benedicti institutionem manserit inter monachos velati religionum distinctio, vel omnes cœperint sub Benedicti regula militare. In quo in antiquis historiis nihil certum invenio;

tamen apud Anton., in 2 p. Historiali, tit. decimo quinto, c. decimo quarto, sic scriptum reperio: *Post Benedictum omnes monachi Occidentis militant sub regula B. Benedicti, et ipsum habent in patrem, exceptis Carthusiensibus.* Similia fere habet in 3 p. Theologi, tit. decimo sexto, capite primo, § 7. Unde verisimile mihi fit, vel statim, vel paulo post institutam et divulgatam regulam Benedicti, omnes Occidentis monachos ad illam se conformasse, quia nullum aliud initium invenitur hujus conformitatis; ergo, sicut de antiquitate traditionum, quarum principium ignoratur, argumentari solemus, revocandas esse usque ad initium Ecclesiæ, ita hic cum proportionem colligimus, universalem tunc ritum monachorum statim ab initio religionis S. Benedicti incepisse. Quod etiam possumus aliis conjecturis confirmare. Prima, quia monachi antea non videntur habuisse certam aliquam regulam in Europa (ut omittam regulam Basilii in Oriente, et Augustini in Africa), nec fere unitatem religionis inter diversa monasteria, sed unumquodque juxta suas consuetudines, et propria statuta, vel forte juxta prudentiam sui Abbatis gubernabantur. Benedictus autem et propriam regulam instituit, et varia monasteria in Italia, et extra illam per se, et per suos discipulos, Placidum et Maurum, sub unius religionis concordia fundavit; ergo facile fieri potuit, ut alia monasteria eandem regulam reciperent, cum nullam haberent. Secundum indicium est, quia omnia jura, quæ post illa et prope illa tempora, qualia fuerunt circa ætatem D. Gregorii, de solis monachis S. Benedicti, vel qui ab eo duxerunt originem, loquuntur. Tertio (quod præcipue me movet) invenio antiquam approbationem D. Gregorii dicentis, se confirmasse regulam S. Benedicti in sancto Concilio, et subdit: *Et observari præcepi ab omnibus, qui seculo renunciare, et ad Deum converti voluerint, in omnibus regionibus seu provinciis Ecclesiæ Latinæ.* Quarto, nullum vestigium alterius monachatus in Europa inchoati (ut Augustinianam et Carmelitanam familiam nunc omittam) ad nos pervenit, præter religionem S. Benedicti, vel alterius, quæ ab illa originem ducat, aut certe propriam et notam aliam originem multo post tempore habuerit, ut de Carthusianis infra, cap. 4, dicemus; ergo verisimile fit omnia alia cœnobio monachorum, quæ per Italiam, et alias Europæ partes erant ante Benedictum, ejus regulam et professionem assumpsisse, nam

si postea durarent, in ea professione inventur. Quod si sub regula Augustini aliqui permanserunt, vel erant Canonici regulares, vel potius sub nomine eremitarum quam monachorum vivebant, et magis in Africa quam in Europa multo tempore durarunt. Sicut Carmelitarum ordo si tunc jam sub monachali professione extabat, in Oriente potius quam in Occidente vigeat, ut postea videbimus in cap. 10.

8. *Num S. Gregorius Magnus fuerit monachus Benedictinus.* — Atque hinc possumus obiter expedire dubium, quod circa receptam opinionem et historiam de monachatu S. Gregorii, erudite excitavit Cæsar Baron., in tom. 7, anno 581, circa finem. Communis enim opinio fert, Gregorium Magnum ordinis S. Benedicti professorem fuisse. Hoc autem difficile creditu videtur, quia Gregorius, post functionem Urbanæ præfecturæ, et post ædificata sex monasteria in Sicilia, monasterium quoddam S. Andreae Romæ fundavit, et in eo monasticum habitum assumpsit; non videtur autem constituisse illud monasterium sub instituto S. Benedicti; ergo neque ipse illam professus est. Major ex historiis, et vita Gregorii, et ex eodem Gregorio, lib. 1, epist. 1, et in præfatione Moralium, et ex aliis locis, ut certa supponitur. Minor videtur colligi ex eodem Gregorio, lib. 1 Dialog., c. 4, juncto c. 20, lib. 4, ubi sic inquit: *Vitæ venerabilis Valentinus, qui post in hac Romana urbe mihi, sicut nosti, meoque monasterio præfuit, prius in Valeria provincia suum monasterium rexit.* Ex quibus verbis intelligimus, Gregorium hunc Valentinum vocasse, eique monasterium suum et seipsum subjecisse; ergo quam regulam et religionem Valentinus profitebatur, eandem Gregorius professus est. At Valentinus non videtur fuisse discipulus S. Benedicti, sed S. Equitii, de quo supra ex eodem Gregorio commemoravimus fuisse institutorem monasteriorum in provincia Valeria, vel antiquiorem Benedicto, vel certe non juniorem, neque ab ejus institutione descendente; ergo nec Gregorius fuit instituti Benedicti professor. Neque enim primum institutum mutavit, imo neque alium Abbatem unquam habuisse creditur, præter illum primum, in ejus manibus professus est; nam vix biennium in monachum expleverat, cum Diaconus Cardinalis factus est. Porro Valentinus non Benedicti, sed Equitii professorem fuisse, patet imprimis ex illis verbis: *Prius in Valeria provincia suum monas-*